

## Rheinisches Urkundenbuch (Ed. Wisplinghoff) Nr. 325

(C.) In nomine sanctae et individuae trinitatis. Licet parva et exigua sint, quae pro immensis peccatis et debitis offerimus, tamen pius dominus noster Jesus Christus non quantitatem muneris, sed devotionem conspicit offerentis. Ideo ego in dei nomine Gerhardus quamvis indignus presbiter cum consensu et licentia domni Uuichfridi archiepiscopi dono seu et trado in presentia illius suorumque fidelium tam clericorum quam laicorum circumstantium simulque mecum meo advocato Amalrich dicto donante ac tradente tale predium, quale mihi a quodam Gerharo scilicet nobili viro datum est, in pago Tulpiacense in comitatu Ermfridi comitis in villa vel marka, quae vocatur Merlesheim, situm cum casa et horreo caeterisque diversis aedificiis cum farinaria, prato, cum omnibus rebus illuc pertinentibus ad ecclesiam XI milium sanctarum virginum, quae est extra muros Coloniae civitatis honorabiliter constructa, ac illis sanctimonialibus, quae ibidem consistunt ac deo die noctuque tota devotione deserviunt, in proprium ea videlicet ratione, ut in memoriam et elemosinam mei et prefati domni Uuichfridi archiepiscopi nec non et Herimanni similiter archipresulis sui quidem antecessoris inibi proficiant in augmentis perpetualiter in dei nomine ad possidendum. Unde post mea fuit peticio et illarum non negavit pia devotio, quatinus supradictas res mihi per beneficium prestarent, quod et fecerunt eo utique tenore, ut ipsum predium cunctis diebus vitae meae sub usufructuario excolerem et post obitum meum ad iam dictam ecclesiam cum omni melioratu in omnibus, quae addere aut amplificare potuissem, absque ulla retractatione id reverteretur; et ut mea mancipia, hoc est Guntheri, Berhtloch cum filia sua, Hildrich, Liutmar, Uuilliburg, Godefrid, Thietbraht cum duobus pueris parvulis in eo habitarent et illud excolerent ac per singulos annos inde ad censum persolverent libram dimidiam nec non et eadem mancipia annis singulis ad iam dictam ecclesiam de cera in luminaribus unusquisque pro se duo deneratam in paschalibus persolvant diebus et sint sub defensione vel mundeburdo ipsius ecclesiae vel sub ala predicti pontificis vel eius, qui tunc temporis ibidem preesse videtur, bene ingenua atque segura; et ut in die obitus mei duae partes de omnibus rebus in eodem praedio [ ... ] mei tribuantur, tertia autem pars supranominatis meis mancipiis donetur. Postremo mea fuit peticio, ut supranominatus advocatus meus Amalrich duobus prescriptis mancipiis - hoc est Gunthario traderet duo mancipia in proprium sibi habenda post obitum meum. Similiter etiam et Berhtlogae tradidit Uueringerum cum uxore sua et liberis nec non et comparatas predii particulas cum aedificiis in proprium.

Si quis vero de heredibus meis contra hanc traditionem venire et eam infringere vel emutare voluerit, inferat predictae ecclesiae auri libram dimidiam, argenti pondera X coactus exsolvat et insuper quod repetit evindicare non valeat, sed presens donatio omni tempore firma stabilisque permaneat cum stipulatione subnixia.

Actum publice in civitate Colonia in porticu sancti Petri IIII kl. febr. anno gloriosissimi regis Otdonis VI, in dei nomine feliciter amen.

Signum Gerhardi presbiteri, qui hanc cartam fieri rogavit.